

NATALIS CO
MITIS MYTHOLO
GIÆ, SIVE EXPLICA
TIONIS FABVLARVM,
Libri decem :

*In quibus omnia propè Naturalis & Moralis Philosophia
dogmata contenta fuisse demonstratur.*

Nuper ab ipso autore recogniti & locupletati.

EIVSDEM LIBRI IIII. DE VENATIONE,
Cum Indice triplici, rerum memorabilium, urbium & lo
corum à variis heroibus denominatorum, ac plan
tarum & animalium singulis Diis
dicatorum.

Opus cuiusvis facultatis studiosis perutile ac propè necessarium.

Accessit G. Linocerij Musarum Mythologia, & Anonymi
Observationum in totam de Diis Gentium
narrationem, Libellus.

Permittente a. n. a. f. notay & Sylburgio fructor cembenad

*Ita conforma conel
expung. & 16to*

*p. commission d
Iste off.*



*+ francij
Maldonado*

num. 26. cap. 2. num. 3

EXCVDEBAT SAMVEL CRISPINS.

M. DC. XX.

de la Libreria R.

141

I L L V S T R I S S I M O


A T Q V E R E V E R E N D I S -

simo Domino Io. Baptistæ

Campeggio Maioricen-

si Episcopo.

S. P.



ICAVERAM libros hos Mytholo-
gicos Serenissimo Gallorum Regi Carolo
Nono fel. mem. tanquam munus non
planè regia celsitudine indignum, ut in
quibus omnia sapientie præcepta conti-
neantur tam ad mores, quàm ad natu-
ram huiusce vniuersi spectantia. Sed
bellici tumultus de religione in vniuersa propè Gallia insur-
gentes ita illum Regem vexarant dum imprimerentur, ut
ad quiduis potius, quàm ad literarum cognitionem oculos
deorquere liceret. Inde effectum est, ut neque tunc missi
sint ad Regem, ut importunè inter arma vbiq; obstrepentia:
neque postea, ut res iam inueterata, & in manibus om-
nium diu versata. At nunc mortuo illo Rege cum multis
rebus aucti locupletatiq; denuò prodeant in lucem, vel ut
antiquorum institutum seruem, qui sua opera viris illustri-
oribus suæ tempestatis, præstantioribusq; gloria, virtutes,
auctoritate consecrarunt; vel ut per hanc opportunitatem
in gratiam amplitudinis tuæ admitterer, volui tibi opt.
Ioan. Baptista Campeggi hanc Mythologiam reuocatam à
frustrà instituta dicatione regia consecrare. Neque existimo
sanè meum consilium cuiquam non maximopere probatum



NATALIS CO- MITIS MYTHO- LOGIÆ,

LIBER PRIMVS.

Quod sit totius operis argumentum.

C A P. I.



Vm tantam esse perspicio cognitionis antiquarum fabularum vtilitatem Illustriss. atque optime Ioan. Baptista Campeggi, quas poëtae, veteresque sapientes suis scriptis inseruerunt; quantum nullo orationis genere complecti possem: admirabile quiddam profectò mihi videri solet, cur nullus ex antiquis scriptoribus ad hanc vsque diem vniuersam insignium fabularum explicationem susceperit. Atque id eò magis, quòd vniuersa philosophiæ præcepta sub his ipsis fabulis, antiquitus continebantur: quippe cum non ita multis annis antè Aristotelis, & Platonis, & cæterorum philosophorum tempora, omnia philosophiæ dogmata non apertè, sed obscurè sub quibusdam integumentis traderentur. Græci enim cum occultam philosophandi rationem ab Ægyptiis in patriam adduxissent, ne res admirabiles in vulgus ederentur, quòd illis malè perceptis ab religione & ab omni probitate plerumque id facillè desciscat: & ipsi per fabulas philosophari clam cœperunt. Deinde, cum sequentibus temporibus res fuisset denudata, omnique recta

1000